19.

DISSERTATIO
INAUGURALIS POLITICO MEDICA
DE
EDUCATIONE INFANTUM

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

MAGNIFICI DOMINI PRAESIDIS

ET

DIRECTORIS

SPECTABILIS DOMINI DECANI

NEC NON

CLARISSIMORUM D. D. PROFESSORUM

PRO

GRADU DOCTORIS

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS RITE LEGITIMEQUE CONSEQUENDIS IN ALMA AC CELEBERRIMA REGIA SCIENTIARUM UNIVERSITATE PESTANA PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT

JOANNES WANYEK

MORAVUS WLCSNOVIENSIS.

Theses adnexae in Palatio Universitatis minore defendentur die Julii 1841.

BUDAE,

typis Joannis Gyurián et Martini Bagó 1841.

SPECTABILI AC CLARISSIMO

DOMINO

JOANNI PISKOVICH,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI

NOSOCOMII CIVICI AD S. ROCHUM

PRIMARIO CHIRURGO

INCLYTAE FACULTATIS MEDICAE MEMBRO

COLLEGIATO

CHIRURGIAE PRACTICAE SUPPLENTI

PROFESSORI etc. etc.

VIRO

INGENII VI ET DOCTRINAE PRAESTANTIA

INSIGNI

MORUM SVATITATE BENEVOLAQUE

HUMANITATE

EXIMIO

IN PERENNIS OBSERVANTIAE, VENERATIONIS

ATQUE

GRATI ANIMI TESSERAM

OFFERT

DEVINCTISSIMUS

AUCTOR.

§. 1.

Ut finis educationis assequi possit, requiritur, ut proles sint sanae et robustae, nam infantes a natura iam debiles, morbis hereditariis aut congenitis adfecti, etiam penes optimam educationem, nunquam illum culturae assequentur gradum, quem firmi, robusti, vigore pleni et ab omni vitio immunes soboles adipiscentur. Ut autem proles sint sanae et robustae, Parentes illarum firma gaudeant valetudine est necesse. Hinc debiles, senes, morbis exhausti, Scrophulis, Rhachitide, Arthritide, Syphilide adfecti, aut fluxui habituali obnoxii; vel morbis nervorum gravibus uti: Epilepsia, Catalepsi, Chorea S. Viti, Asthmate, aut Haemoptoe, Phthisi, Febri hectica laborantes matrimonio potius renuncient, quam ut semet adhuc infeliciores reddant, nam huiusmodi morbi per Matrimonium certe non tolluntur, sed potius exasperantur, altera quoque pars sana morbosa evadit, infantes nisi miseri debiles, imbecilli, morborum parentum participes, nec diu viventes generabuntur; Zelotipiae, discordiis, ruinae domesticae et divortiis ansa praebetur, et sic vita utriusque partis abbreviabitur. Ut igitur vegeti procreentur infantes requiritur: Aetas legitima et proportionata personarum matrimonium contrahentium; talis erit si vir ad minimum 10 annis fuerit senior femina. (Juvenis homo cum vetula penes omnem opum abundatiam vix beabitur) nec nimium iuvenilis nec senilis aetas generationi favet. Utraque pars sit relative sana,

si morbus adsit, qui tamen curari potest, ille ante matrimonium tollatur. Requiritur porro amor mutuus, coniugium coactum, aut e finibus secundis contractum, nullatenus favet propagationi, adhuc minus educationi. Ut sana et robusta, atque numerosa demum progenies sperari possit multum confert recta puellarum et masculorum ante initum matrimonium informatio, et quidem: Ut neocopulati sciant sibi moderari in negotio sexuali initio matrimonii, quando vir uxori et haec viro debitum matrimoniale denegare possit uti: tempore menstruationis, graviditatis, puerperii, lactationis; neque bonum est coitum celebrare statim post pastum, post sumta spirituosa, aut tempore affectus.

§. 2.

Neque tamen sana et robusta obtinebitur progenies, nisi gravidarum et foetus in utero contenti cura habeatur; ob nexum immediatum inter foetum et matrem omnes influxus noxii in matrem agentes ipsi quoque foetui perniciosi fiunt, hinc gravidae sequentes observabunt regulas:

1-mo Victus earum sit temperatus, digestu facilis, non nimium stimulans, adeoque nec quantitate, nec qualitate peccet, potus spirituosi, nisi iis adsvetis parca solum quantitate concedantur.

2. Vestibus utantur anni tempori adcommodatis, attendant praeprimis ne vestitus uterum praemat, refrigerium sollicite vitent, thoracula eo tempore non tolerentur.

3. Motum corporis suscipiant moderatum, isqué potius sit activus (deambulatio) quam passivus (vectio in rheda) omnis motus violentus, cursus, saltus, vectio in curru per strata aspera sollicite vitentur.

4. Animi affectus tam deprimentes uti: Moeror, tristitia, terror, melancholia, quam excitantes: Ira, indignatio, gaudium immodicum nocent.

5. Coitum praecipue primis duobus mensibus post conceptionem et versus finem graviditatis non celebrent.

6. Gravidam nemo vexare aut laedere audeat, ipsi parentes, tutores, cognati et heri illegitime gravidas obiurgare aut male tractare non praesumant.

7. Maritus uxorem a laboribus gravioribus dispenset, quam mansvetissime illam tractet, circa finem graviditatis solitariam nunquam relinquat, ubi se uxor male senserit, illico de auxilio prospiciat.

8. Emetica, purgantia fortiora, venaesectiones summe sunt noxia et ideo absque scitu medici nunquam adhibenda. Balnea tepida plurimi Medici svadent (caute tamen adhibeantur ne refrigerium admittatur) Balnea frigida cane et angue peius vitanda. *)

9. Omnia illa, quae per horridum adspectum in gravidas noxium influxum exerere possent removeantur.

10. Denique ipsae Jurisdictiones cum gravidis mansvete agant, nullis minis, terriculamentis, minime vero poenis adficiant. Noxae hac enumeratae uti etiam potentiae mechanicae inprimis abdomen ferientes, emmenagoga (pellentia) facile Metrorhagiam (Blutfluß aus der Gebährmutter) tam matri quam foetui periculo plenam, abortum, imo et ipsam mortem saepe post se trahunt, et hinc quam solertissime vitandae erunt.

§. 3.

Parturientes quoque summam requirunt adtentionem, ex hac parte necessarium erit, ut ubique locorum obstetrices excultae habeantur, in omni pago adsit adminus una obstetrix diplomatica, quam maritus, cognati, aut vicini sub poc-

---

*) Mursinna refert casum: Puella quaedam graviditatem celans, accessit vetulam et auxilium contra Hydropem simulatum quaesivit. Haec calefecit cubile adeo, ut illius aegra fortiter sudare debuerit, in sudore sic constitutam, repentine aqua frigida perfudit, misera puella e sede cecidit, omnem sui conscientiam amisit et simul abortum passa est, (foetus erat circiter 4 mensium) quam dein nec ars hippocratica amplius salvare poterat. —

na advocare tenentur, in casibus gravioribus obstetricator advocari debet. Vetulis, aliisque personis illegitimis parturientibus adsistere, nisi extrema urserit necessitas interdictum sit. Praeiudicia et malae consvetudines circa parturientes uti situs vario modo, atque saepe mutatus, potiones exhibitae, praessio, inunctio abdominis, nixus intensus ante tempus debitum, ligaturae circa collum et alia absurda severe interdicantur.

In illis casibus, ubi iam tempore graviditatis evictum fuerat, partum normali modo et via fieri non posse Physicus advocari debet, qui cum Obstetricatore consilium ineat circa avertenda pericula. Citra matris parturientis assensum operationem fors laethalem suscipere medici non audeant, si tamen parturiens sub ipso partu moreretur, tunc ad foetum salvandum sectio caesarea illico suscipiatur.

§. 4.

Partu feliciter absoluto curandum erit: ut et Mater Puerpera et proles incolumes serventur. Licet iam nunc infans in nexu immediato cum matre uon sit, et etiam absque illa penes curam sollicitam vitam ducere posset, attamen infans talis nunquam ita perfecta fruetur valetudine; quam ille, qui lacte matris aut adminus sanae nutricis alebatur; quod autem lac per influxus noxios in matrem aut nutricum agentes qualitates noxias acquirere ac proin sanitas ipsius infantis perturbari debeat, neminem latet; hinc omnimode curandum, ut lac semper adsit sufficienti quantitate et bona qualitate praeditum. Ante omnia puerpera quietem observet summam, sola non relinquatur, sed continuo observetur; an placide respiret, an calor corporis sit amoenus, investigetur abdomen, an uterus debite contrahatur et si anomaliae quaedam observentur, illico medicus advocetur. Quia vero puerperae per partum defatigatae facile somno obruuntur, sub quo metrorhagia periculosa longe frequentius ac secus locum habere et inde etiam mors sequi poterit; hinc aliqui Medici svadent ut

puerpera continuo distrahatur et primis 12 horis nullus somnus admittatur, quia tamen somnus vel maxime vires restaurat, ideo puerpera somno brevi tempore et sub vigili oculo indulgere potest. Causae hoc tempore maxime nocentes sunt: Laetitia summa *, clamor, terror, timor, tristitia, ira, indignatio, aer corruptus, quietis denegatio, refrigerium, retentio excrementorum, denegata lactatio, excessus in esu et potu, secretionum normalium turbatio. Hae quippe causae producere possunt in puerpera cessationem lochiorum, interceptionem lactis eiusque metastasim, febrim puerperalem, convulsiones inflammationem tam mammarum quam uteri, abscessus, exulcerationes, indurationem, scirrhum, cancrum harum partium, morbos mentis, vesanias, vitam miseram, tabem, imo ipsam mortem subitaneam.

Ne igitur huiusmodi tristes sequelae locum habere possint: quies corporis et animi, mundities summa, aer purus, et dieta stricta praeprimis puerperis non lactantibus haud satis commendari merentur.

§. 5.

Quaelibet mater sana proprio lacte infantem nutrire deberet, proprii commodi et infantis causa, intermissa enim lactatione, febris puerperalis periculosissima, mammarum inflammatio, harum suppuratio, induratio, Leucorrhoea (der weiße Fluß) mutationes uteri diversissimae ominosissimaeque evolvuntur.

Sed nec infanti lac nutricis ita bene sapit ac illud matris, etsi aetas, constitutio, tempus partus, lac ambarum similia sint (quod etiam rarissimum est) vitale tamen illud principium, quo lac maternum gaudet, longe aliud est. Ac-

*) Struve narrat casum, ubi partu feliciter absoluto, amici et cognati magno numero confluxerunt et laetitia iubilaea cubile puerperae repleverunt. Ast proh dolor! beatissima mulier ob irritabilitatem summam gaudio superando impar erat, mox incidit in animi deliquium, quod dein exceperunt spasmi terribiles, et paupercula inter amplexus Mariti felicissimi exstincta est.

cedit praeterea, quod nutrices utplurimum incultae affectibus agitentur, aut morbis diversis laborent, unde lac noxiam contrahit qualitatem, miseri infantes vomitu, diarrhoea, torminibus corripiuntur, tardius incidunt in Atrophiam, qui morbus ut plurimum morte terminatur.

Dantur tamen casus, qui matrem a lactatione excusant nempe: Si sit nimium debilis, Haemoptoe, Syphilide aut febri depascente adfecta, aut Scrophulis, Rhachitidi in alto gradu obnoxia, alio quopiam contagioso, vel hereditario morbo laborans, si gravi mammarum morbo vexetur, si demum parum lactis secernatur, illudque ab infante non fertur. Alii morbi intercurreutes vix nocent. *)

§. 6.

In defectu lactis materni, nutriatur infans lacte nutricis, quae sequentes debet habere dotes:

1. Aetatis sit 18—30 annos.

2. Eius partus non multum distet a tempore nativitatis infantis.

3. Nullum habeat sive somaticum, sive psychicum vitium.

4. Mammae sint bene evolutae, eaeque lac bonum secernant.

5. Sit persoua bene morata.

6. Sit patiens atque amet proles.

7. Diligat munditiem.

8. Sit informata de omnibus, quae ad officium nutricis spectant.

Utrum autem nutrix has qualitates possideat, unice Medicus diiudicare potest, ideo obstetricibus non est fidendum, nam hae morbos, eorumque tristes sequelas non noscunt, neque ipsam qualitatem lactis diiudicare valent; (et iam hic non

*) Dr. Tode narrat: Matrem quamdam febri putrida adfectam, parvulo ubera usque ad extremnm halitum exhibuisse, absque omni damno infantis. Si tamen Mater quocunque morbo laboret, optime faciet, si de hac re medicum consuluerit.

infrequenter ex inscitia, aut levitate Parentum fons morborum, tam somaticorum quam psychicorum ponitur, quam imprudentiam miserae proles tota vita acerbissime luunt) hinc nonnisi nutrix a medico bene pervestigata et testimonio huius provisa suscipiatur.

Huiusmodi persona etsi ex infima plebe sumta, cum quadam distinctione tractari debet, nam meminisse oportet infantem eiusdem lacte ali, qui succus pretiosus ad omnem influxum noxium in nutricem (aut matrem lactantem) agentem noxiam acquirit qualitatem et infans vomitu, diarrhoea, convulsionibus corripitur, imo subinde exstinguitur. Ideo cibi ipsi dentur sufficienti quantitate et bonae qualitatis, potus tamen spirituosi praeprimis initio lactationis ipsi non concedantur, famulitio est mandandum, ne illam ad iram, indignationem concitet, curandum, ut animo semper sit hilari, neque graviores labores perficiat. Si ipsa mater lactet, nunc memorata observabit consilia, ipse maritus uxorem non vexet, noctu quietam relinquat, et eandem in omnibus negotiis sublevet.

§. 7.

Partu feliciter absoluto, funiculus umbilicalis suo modo deligetur et abscindatur, neonatus dein ponatur in balneum saponatum moderate calidum, investigetur dein an non aliqua deformitas adsit, etsi quidpiam abnormis observetur, illud non statim matri, sed tantum cognatis dicatur, et statim de auxilio prospiciatur; neonatus ablutus et siccatus linteo calido involvitur et uberibus adponitur. Circa neonatum sequentia erunt observanda:

1. Balneum ne sit nimis calidum aut frigidum.
2. Ne adhibeatur nimia corporis frictio.
3. Absurda nonnulla praeiudicia, ut lotio cum secundinis, expressio mammularum non tolerentur.

4. Si frenulum linguae accretum esset, id ungvibus solvere, vel vero aliud vitium obstetricibus corrigere non licet, sed illico advocetur medicus.

5. Strenua neonati fasciatio reiicienda est.

6. Rigidissima hieme neonati ad ecclesiam deportatio et impertitio baptismatis cum aqua gelida propter noxios effectus reprobanda.

7. Aestivo autem tempore attendendum ne per radios solis urentes insolatio fiat.

8. Mundities servetur summa.

9. Usus cunarum est reprobandus. Lectulus infantis sit simplex, potius durus quam mollis, infantem plumnis obruere noxium est. Infantem in eodem lecto cum matre aut nutrice per noctem relinquere periculosum est, infans enim facile suffocari potest.

10. Nutricio infantis sit parca et ordinata. Quoties ei per diem ubera exhiberi debeant, determinari non potest, sed quotiescunque post somnum pacatum clamat, digitum ori impositum sugit, (signum famis) uberibus adponi potest, non tamen semper certum est signum, nam saepe clamant, ob immunditiem, strenuam fasciationem, et ideo frequenter inspici debent, et si squalidi reperiantur, sollicite mundentur, non constringantur.

11. Mammae post singulam lactationem aqua tepida abluantur, et alternis vicibus exbibeantur nec nimis calide serventur ne refrigerium admittatur.

12. Os infantis post singulam lactationem aeque eluatur.

13. Ubera non exhibeantur illico post pastum, motum corporis maiorem, coitum, praecipue iram tunc enim lac semper alteratum est.

14. Primis tribus mensibus omni die adhibeatur balneum tepidum, dein omni secunda die, 6-to mense (aetatis infantis) balnea frigidiuscula 18° adhiberi possunt, attendendum tamen semper ne refrigerium admittatur, sudante cor-

pore nunquam in balneum ponatur, neque diu in illo relinquatur et cito siccetur.

15. Syrupos purgantes absque consultu medici exhibere ut plurimum noxium est.

16. Infantes in cubili obscuro relinquere consultum non est (facile enim amaurosis evolvitur) sed aeque attendendum ne radii lucis in oculos incidant, malum quoque est si infantes ex latere fenestram adspiciant, unde strabones (Schielcr) evadunt.

§. 8.

Accidit subinde, quod mater vel moriatur, vel propter morbos lactare non potest nutricem solvere aeque ipsi arduum est, tunc optimum erit, si lac asininum in usum trahatur, aut rĕcens vaccinum, malum est ovile pessimum caprinum, cum valde pingue sit. Lac desumatur ab animali sano, iuveui et semper ab eodem, lac recens decoquatur et primis 6—8 diebus, cum una parte aquae purae, vel cum decocto Althaeae misceatur, tardius merum lac cum saccharo exhibeatur, ex instrumento suctorio, cuius apertura spongia et linteo mundo involuta sit, post 3 septimanas etiam mucilago hordei, orizae, ius carnis panis biscoctus cum lacte et saccharo exhiberi possunt. Vitanda sunt viridaria et farinacea, nam priora flatus causant, posteriora non digeruntur et dolores, spasmos, alvum constipani provocant; ubi dentes prorumpere incipiunt caro tenera exhiberi poterit. Pro potu initio sit lac, dein aqua. Cerevisiam, vinum, prout etiam coffeam, chocoladam et omnia aromatica disvadeo. Pro ientaculo lac, aut coffea glandum quercinarum praecipue scrofulosis optime conducit; in genere victus parcus et per breviora intervalla infantibus propinetur potius, quam ut ad semel magna copia ciborum ventriculum onerent.

§. 9.

Mense circiter 15-to infantes stare et ambulare discunt, in hoc negotio optimum est, infantes in cubili relinquere,

ut se in tapetis, vel tegminibus libere volutent, tardius obiectis adsistere et sic circa sellas et alia obiecta ambulare discant (semper sub vigili oculo). Diversae machinae, ligulae ambulatoriae, corbes, sellae, curriculi ambulatorii summopere sunt noxia, facile enim luxationes, morbos pectoris, hernias, fracturas ossium et alia vitia provocant. Vectio in curriculis, ob eversionem, succussionem et insolationem in plateis commendari haud meretur, in cubili adhuc tolerari potest. Pessimum est; infantes per caput, brachia, vestes, vel lingulas capere et elevare, aut in gyrum vertere, nam haec omnia diversissima mala producere solent. Ad insistendum pedi aut ambulandum ne cogautur, antequam pedes debitum robur non habuerint, secus pedum, aut spinae dorsi curvaturae, vel diversa pectoris vitia oriuntur.

Crepundia peculiarem requirunt attentionem, ob materiale, colorem et formam.

Ne sint confecta e metallis venenatis, non e vitro, neque colore venenato sint cincta, sic fabricatores plurimi pro colore albo summunt cerussam albam, pro flavo arsenicum, Gummiguttam, pro viridi cuprum, aut viride aeris, pro ceruleo aeque cuprum, pro rubro cinabarem aut minium, his autem substitui possent pro albo creta, pro flavo radix Curcumae pro viridi succi herbarum, pro ceruleo indigo, pro rubro coccinella, vel lignum brasiliense. Neque talem habeant formam ut corpus laedere, aut functiones eius impedire possent, neque sensus obtundant aut organa respirationis adficiant. Instrumenta flatilia aut iaculatoria non sunt concedenda.

Cum initio anni 2-di facultas loquendi semet evolvat, Parentes eo curam impendant, ut rerum nomina distincte pronunciare et bene loqui discant, neque sinant, ut cum servis ancillis multum conversentur, quorum methodus loquendi minus recta, infantibus facile inhaeret, difficulter tamen cum tempore eradicanda.

Diligenter invigilandum iis, qui proles circumdant, ne sive imprudentibus iocis, blandimentis, aut immodesto contactu, sive ad quietem sibi procurandam potus soporiferos praebendo, aut cibos diversos in os ingerendo, innocentiam et sanitatem ipsarum in discrimen adducant. Invigilandum ne per innanes famularum de spiritibus et spectris fabulas timidae efficiantur.

Relate ad somnum notandum est, quo iunior homo eo plus dormit, ideo dum somnus infantem obruit impediri non debet, sed ponatur infans ad locum quietum, tenebricosum, moderate calidum, non alto loco, e somno non excitetur repente, aut cum magno strepitu, insecta, aut alia animalia removeri debent; neque tamen somnus provocetur frictione fontanellarum, aut partium genitalium, commotione corporis, cantu, eo minus terrefactione aut opiatis, tam animo quam corpori perniciosis.

§. 10.

Pericula morborum optime praecaventur induratione corporis. Induratio haec nisi lente fiat et per gradus, a facilioribus ad difficiliora procedat; transitus enim ad altiores gradus, neglectis mediis debilem adhuc compagem corporis perturbat. Sit praeterea induratio corporis aequalis et universalis. Insanum est unam partem corporis denudare et alias sollicite tegere, vel rigida hieme levibus vestibus proles induere, noctu vero plumis obruere; aut integris mensibus in calore haerere, dein repente in frigida pluvia per horas morari. Praeterea respicienda erit aetas, corporis constitutio, clima, vivendi modus et alia adiuncta. Cibi duriores innocui esse possunt illi, qui corpus multum commovet. Vestitus levis in mitiore et constante climate non nocet, in aspero et mutabili varios morbos provocat. Contra variolas optimum prophylacticum est vaccinatio nunquam negligenda.

§. 11.

Maximum influxum in constitutionem corporis habet:

I. Aer, qui semper debet esse purus et qua talis conservatur munditie ac frequenti cubilis ventilatione. Apud pauperes ubi cubile unum tantum est, et ventilatio praecipue hiemis tempore difficulter instituitur, ad aerem salubriorem reddendum multum confert evaporatio aceti, sed non infundendo ferro vel lapidi candenti, tunc enim comburitur et empyreuma generatur, sed in vase idoneo flammae exponendo, ut ebulliat et sic evaporet. Corrumpitur contra aer, si cubile sit angustum, humile, si sit plerumque clausum, si fortiter calefiat, si a multis inhabitetur, si cibi et aliae fermentantes materiae, in eo conserventur, aut plane urina et excrementa in eo relinquantur, si vestes laventur et siccentur, multae candelae urantur, si infirmi in eo morentur, aut plane animalia. Munditie neglecta diversi morbi cutanei, scorbutus, febris putrida et Typhus evolvuntur, eo minus compages infantum tenera huic potentiae nocenti resistere poterit. —

Temperaturam quoque valetudini convenientem esse oportet. Vehemens calor non minus est noxius, quam intensum frigus. Ductus aeris quoque multum nocet, praesertim calente corpore, prout etiam repentinus e magno frigore ad nimium calorem transitus. Mutationi tamen aeris sensim adsvefaciendae sunt proles, ne ipsarum valetudo cum omni vento ac tempestate mutetur.

II. Cibi et Potus. Cibi sint simplices bene et munde parati, neque tamen multo aromate conditi. Si infans cibum aliquem fastidiat cogendus quidem non est, ut summat, neque tamen eius gratia alter parandus, ut quo facilius ciborum diversitati adsvescat.

Edendum quantum satis, ut corporis vires reficiantur, non opprimantur.

Necessarium prolibus nutrimentum subtrahere, fame easdem macerare, ut graciliorem et pulchriorem corporis for-

mam consequantur, insanum est; hac enim ratione diversis vitiis, uti: mendatiis, fraudibus, furtis praebetur occasio. Aeque perniciosum est nimio cibo proles farcire, unde vomitus, diarrhoea, febris gastrica aliique morbi nascuntur. Curandum ut proles in usu nutrimentorum certo ordini tempestive adsvescant, neque extra praestitutum tempus manducent. Ad valetudinem magis conducit, si cibi paulatim summantur, bene masticentur, quam si celeriter deglutiantur. — Potus saluberrimus pro infantibus est aqua pura. Coffea, Thea holandica et russica, aliique potus stimulantes et inebriantes, tamquam sentina innumerorum malorum sollicitissime vitentur.

III. Vestitus anni tempori sit adcommodatus, neque incrementum corporis et artuum liberum motum impediat, hinc reiicienda sunt omnia angusta et constringentia indumenta, uti Collipendia, thoracula, calcei, strictae caligae et quaevis stricta ligamina. Ne sint vestes nimis calidae, rigidae, cutim irritantes, caput in primis magno calore non est fovendum. Lectus plumis refertus, nimium calorem fovendo, soporem alit et nervorum debilitatem producit, ipsi etiam innocentiae periculosus est. Stramen purum, pulvinaria ex pellibus pilis referta, tegumenta lanea levia multo sunt salubriora.

IV. Habitatio sit alta, ampla, sicca et lucida, prospectu in liberum patente, in cubilibus enim humilibus, angustis, humidis, abstrusis et non satis illustratis sanitas facile perturbatur. Removenda e cubiculo prolium superflua impedimenta, praesertim quibus se facile laedere possent.

V. Mundities et Ordo magnum influxum non tantum in corpus verum etiam in animum habent, his igitur a prima aetate proles adsvefaciendae sunt; hinc mane quamprimum expergefiunt statim surgant, faciem, manus aqua frigida lavent, se munde induant, Creatori optimo de nocte feliciter transacta gratias agant, ientaculo dein sumto, occupationes utiles perficiant. Vesperi antequam decumbunt crepundiis, libris, instrumentis scriptoriis, cunctis denique, quorum cura

ipsis committitur in ordinem redactis, absolutisque precibus vespertinis se decenter exuant et noctu pacate dormiant. Ad conservandam munditiem, et corpus praeterea roborandum multum confert balneatio, natatio, hiemis tempore lotio cum aqua frigida, nec statim post sumtum cibum, neque calente, sed aliquantum refrigerato corpore suscipienda. Vestes et lectisternia saepe mutentur.

Munditiem et ordinem vel maxime puellae colant, ut quondam bonae matres, excellentesque Oeconomae evadant. Luxus moribus summe perniciosus sollicite vitetur.

VI. Motus Corporis moderatus sanitati maxime amicus nunquam negligatur, et tempestate minus favente quoque suscipiatur, ut sic proles mutationibus Atmosphaerae adsvefiant, curandum ne commotio sit vehemens nec diuturna, paulo vero ante, et post cibum sumtum validior motus non suscipiatur, ubi fieri potest exercitia gymnastica non negligantur.

§. 12.

Cultura facultatum intellectualium quoque summi est momenti. Attamen vires hae animi nec praemature, nec immodice sunt adstringendae, utrumque enim earum labefactationem post se trahit, ipsa quoque compages corporis periclitatur. Nam sicut corporis ita animi virium evolutio habet suam a natura definitam periodum, quam impune transgredi non licet. Natura primis annis potissimum formando et roborando corpore occupatur, unde qui aetate hac vires animi intendunt, corpore deficiunt, fiuntque cum tempore hebetes, imbecilles, morbidi, miseraeque vitae mors praematura saepissime imponit finem. Ne igitur cultura facultatum mentis praemature suscepta tristes habeat sequelas, oportet, ut non omnes eodem tempore, sed sensim aliae post alias iuxta certum ordinem excitentur et evolvantur.

Quamprimum infantes incipiunt rite cogitare excitetur in illis confidentia, obedientia, amor praecipue erga Deum, Parentes, humanitas, misericordia erga homines et animalia,

observantia decoris; suprimendus erit nisus ad iram, invidiam, odium. Ad exstimulandas proles praemia quoque sunt necessaria, sed non signa ridicula, bellaria, verum collaudatio et praemia utilia.

Poena quoque irroganda est, quotiescunque proles e malevolentia peccat, haec tamen sit apta vitioque comisso adaequata, neque sanitati noxia. Pessimum est faciem, caput percutere, capillos trahere, ad mensam, vel aliud obiectum durum trudere, genu flectere ad obiectu acria, scindentia, in cubile ubi nulla est invigilatio includere, tota die fame torquere, vel eiusmodi instrumentis verberare, quibus membra frangi possunt, aut clunes nudas ferire, pedibus calcitrare; neque bonum est errores divulgare, publice confundere, et probrosis nominibus compellare. Post delictum comissum primo convincatur proles, quod male egerit, admoneatur simul poenam fore futuram, si id adhuc semel fecerit; initio semper poenae tantum mitiores adhibeantur, si ad has non resipuerit, virgae quoque natibus adplicitae utiles sunt; caute tamen poenae irrogentur, praecipue cavendum, ne stimulus honoris suffocetur et puer omnem poenam indifferens ferat. Sive poena, sive praemium promittatur semper promissis stare oportet.

§. 13.

Contra mali illecebras plurimum praestat, amor Parentum, ac Educatorum. Magni itaque est momenti, naturalem hunc prolium erga Parentes affectum conservare. Unde gravissime peccant Parentes, qui inter se minus concordes, contemtu et mutuis contumeliis, prolium erga se reverentiam minuunt. Non minus peccant Educatores, cognati, servi, qui Parentum vitia revelando, ipsos irridendo, prolibus autem blandiendo sibi harum amorem demereri conantur, et amorem erga Parentes exstinguunt.

Ut igitur proles quondam homines honesti, probi, bene morati, Patriae utiles et simul felices fiant, Parentes omnibus earundem actionibus rite invigilabunt, easdem occupationibus animo, corporique utilibus, neque tamen vires exhaurientibus providebunt, in distribuendis poenis ac praemiis concordes erunt. Informatio stricte talis, apud proles sanas, robustas 6-to anno (neque tamen citius) suscipi potest. Damnanda illorum opinio, qui dicunt bonum esse proles iam 4-to anno ad scolam mittere ut adminus sedere discant, ubi potius continuus ipsis motus concedi deberet. Proles debiles,

scrofulosae, rhachiticae nisi 7-mo imo 8-vo anno Alphabetum discant, aëre salubri rurali utantur, cibis blande nutrientibus vescantur, motum corporis nunquam negligant. —

Si Educatore opus fuerit, tunc sumatur vir probus, bene moratus, qui gaudet simul valetudine firma, possidetque cognitionem scientiarum et artium liberalium, sit quoque patiens, mansvetus, diligens in officio suo, sciatque discipulorum sibi concreditorum amorem erga Parentes et erga se conservare, confirmareque. Si iam talis vir haberi potest, tunc nec sumtibus et parcendum, et certe bonus Educator praemio dignus est, ille enim fundamentum futurae ponit felicitatis. Unde Machat bene dicit: Le bonheur d' un enfant dépend d' une bonne éducation.

Si haec pauca, quae de Educatione infantum exposui observata fuerint, continuatio quoque Educationis feliciter succedet, morbi infantum erunt rarissimi, omniaque illorum incepta felici coronabuntur successu. Ego quoque mihi propositum assequar scopum.

Theses defendendae.

1. Extractio cataractae ad rarissimos est restringenda casus.
2. Auditus visu nobilior.
3. Medicus in verba Magistri iurans aut uni inhaerens Systemati est perniciosissimus.
4. Cum Emeticis, Opio et Sangvinis evacuatione cautissime mercandum.
5. Non datur morbus stricte intermittens.
6. Matrimonium ad longaevitatem multum confert.
7. Arcana sic dicta pharmaceutica publico usui non committenda.
8. Ex matrum vel nutricum uberibus infantes vitam aeque ac mortem sugunt.
9. Functio sexualis suppressa in Canibus saepissime causa rabiei est.
10. Constitutio robusta maiorem fert remediorum dosim.
11. Scrophula saepe Syphilidis progenies.
12. Felicitas humana ab educatione plurimum pendet.
